



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

Festvm S. Angeli Cvstodis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

dum amor denique solvit, & detegere visum, cum aliis, tum è Canonicorum collegio uni suavit. Is tunc Io. Lansenna post Pont. Urbanus IV. fuit. Et forte dum hic ad clavum Ecclesiæ sedet, Bolsenæ Sacerdotis sacrificantis mentem dubitatio subiit de Numinis in S. Eucharistiâ præsentia, Vulneravit hæc perfidia Christum. Nam præterquam quòd remoto panis velo, in conspectum se dedit, scaterere sanguine calix, & effundere se hic in aræ lintea visus est. Tum verò Urbano Pont. jubente miraculum hoc per urbem illam est circumlatum; jamque urbem unam omnis orbis amulatur. Rectè porro nos faciemus, si in ferculum DEO nostro non aurum, aut argentum modò, sed quod magis amat, oculos, linguam, pectus, cor adeò commodabimus. *Ex hist. revel. Inst. vener. Sacram.*

FESTVM S. ANGELI CVSTODIS.

DA mihi Arge, ô Angele mi, da penam vel unam è tuis, quâ laudes tuas scribam. Sed ô! unde incipiam? ubi desinam? Nondum natus eram, & tamen jam latus stipabas meum, ô Custos unice! Infanti sinum, puero manum dedisti, ô Pædagoge amantissime! Tu verba formare, & nunc Patrè in cælis IESVM, nunc Matrè MARIAM clamare, tu nunc artes humaniores,
nunc

nunc severiores docuisti, ô Doctor fidissime! Tu in bivio vitæ dubio viam Mercurius monstrasti, præisti, duxisti, insidias detexisti, in hospitium ô quale introduxisti, dux fidissime! Sed vin' compendium tuarum dem laudum? morituro quotidie aurem vellicas: irati iudicis timere vultum doces: mones præcipitia infera cavere, cæli ardua digito ostendis, ad hæc expetenda cogitationibus animum adhortaris, & fatigatum manu ducis, succumbentē portas, agrum foves, impugnatum propugnas. Illud quantum est, quod, nisi ego te vivus, tu etiam mortuum non es deserturus. O mi Arge! ô Angele mi! cur ut laudes tuas scriberem, pennam è tuis unam aliquam non dedisti? Sed eja hanc meã cape, & si placet, MAGNÆ VIRGINIS, cui uni laboravit, pedibus substerne. Ut multæ aliæ tam altum, certè altiùs nulla volaverit penna.

IANVA-